



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

22. An sit Symonia dare pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, ut ipse intercedat apud Collatorem beneficij ut beneficium illi conferat? Et quid, si daretur aliquid famulo Archiepiscopi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Alibi in Resolutionibus
positis supra
in not. §.
Quæro secundo, huius

* Alibi ibidem.

num. 45. ita asserentem: Colligitur quintò, eo modo quo licet sine labe simonia dare temporale pro spirituali etiam licet de hoc ipso conventionem facere; nempe tanquam dandò, vel ex gratitudine, vel ex benevolentia, vel ex iustitia non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est, neque tanquam pretium, sed ob aliquam aliam rationem licitam, & à jure concessam. Hæc Vidæ, & plures alij à me alibi adducti. Et quidem qui potest intendere finem; potest media adhibere, ut sibi conferatur beneficium ob gratitudinem alicujus obsequij temporalis: ergo potest id ipsum in pactum deducere tanquam medium ad suam intentionem obtinendam. Adde quod in tali casu pactum, & conventio non cadit supra spiritualia aut aliquid ipsis annexum, sed super aliquid consequens ad collationem spirituum, quod contingenter se habet, ita ut possit consequi, & non consequi. Sola autem spiritualia; & ipsis annexa prohibentur deduci in pactum, quia sola prohibentur subijci venditioni. Sed his non obstantibus ego * alibi hanc doctrinam pro praxi non approbavi; & novissimè me citato, non approbat Rocafull, ubi supra, num. 1082. & ego iterum idem sentio.

4. Quæro tertio, an sit simonia si quis det pecuniam Titio, ut ipse merita apud collatorem beneficii exponat. Affirmativè respondet Carthagina in disp. an liceat dare munera intercessori pro beneficio, cap. 6. difficul. 1. Sed negativam sententiam docet novissimè Pasqualigus ubi supra, §. 380. num. 3. tenet enim quod nulla interveniat simonia, si quis det pecuniam alicui ut propria sua merita notificet collatori, ut inde moveatur ad ipsum ei conferendum, juxta doctrinam quam tradunt Adrianus quodlib. 9. Angelus verb. simonia, num. 25. Sylvest. q. 6. Azorius 3. p. lib. 12. cap. 5. §. 9. 4. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de simonia, c. 53. num. 17. Filiucius, tract. 55. cap. 12. questio 7. num. 12. in fine. Bonacina disp. 1. de simonia q. 1. §. 2. n. 16. Ratio autem est, quia ad inducendam simoniam requiritur quod detur temporale pro spirituali, aut e contra; in hoc autem casu non datur temporale pro spirituali, quia datur temporale pro illo munere exponendi merita; & finis proximus est acquisitio bonæ opinionis apud collatorem beneficii, non autem ipsum beneficium. Insuper ut interveniat simonia necesse est, quod quando datur pecunia, finis immediatus sit acquisitio alicujus spiritualis mediante illa pecunia, non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato fine, juxta doctrinam quam tradunt D. Thomas 2. 2. quest. 100. art. 4. ad 3. Navarr. in Manuali, cap. 23. num. 101. Suarez tom. 1. de Relig. cap. 36. num. 7. Garzias de benefic. p. 1. cap. 3. num. 170. Mollesius part. 1. Sum. tract. 6. c. 15. num. 56. ubi alios citat. In præsentem autem casu quod intenditur mediante pecunia, non est beneficium, sed expositio meritorum ad bonam opinionem acquirendam, & acquisitio beneficii solum respicitur ut quid consequens. Dicendum est itaque ex Suarez, & Adriano, mediatorum assumptam curam præcisè informandi Prælatus de meritis talis personæ, posse pro hoc munere pretium recipere; quia in hac parte solum gerit officium Advocati representando merita personæ; pro quo officio dicemus posse pretium recipi: est tamen hoc periculosum, quia sæpè mediator excedit officium informantis, & assumit officium exhortantis, & inducentis plus quam merita personæ simpliciter representata possent inclinare. Et ita docet Castrus Palaus 10. 2. tr. 13. diff. 3. punct. 11. num. 5.

5. Quæro quartò, an justa vexatio possit redimi pecunia ab eo, qui non habet obligationem opponendi? & affirmativè respondet Pasqualigus decis. 237. qui conatur aliquibus argumentis hanc suam sententiam stabilire: Sed ego adhæreo sententiæ negativæ,

quam nominatim contra Pasqualigum firmant novissimè doctus, & amicissimus Pater Tancredi de Religione, tr. 2. lib. 4. disp. 34. §. 4. n. 33. cum iusta est vexatio, & communis sententia indistinctè loquatur, non potest pecunia redimi justam vexationem teste ipsomet Pasqualigo decis. 236. quod debet dici factum fuisse ex inconsideratione Doctorum, ut innuit Pasqualigus n. 2. d. 236. sed quia voluerunt dare regulam universalem, ex sacris Canonibus deductam; quia media pecunia pararetur via ad beneficium; nam cum ea detur, non ad tollendam vexationem, cum ea non sit, ut diximus; nec ad tollendum malum animi opponentis & ad faciendum hoc opus bonum, nam supponimus ipsum moveri sancto zelo, & manifestationem esse bonam, & opus virtutis, remanet ut tantum detur ad facilitandam viam ad beneficium media pecunia quod nullo modo licitum est per Sacros Canones. Verum stando in hac sententia, contra Pasqualigum dicam simoniam esse de jure humano videtur docere Tancredi loco citato atque idè non inducere statim ut supra firmatum est, penas contra simoniacos à sacris Canonibus latas, quod est valde notandum.

6. Et tandem notandum est hic obiter, quod Pater Pasqualigus querit an pro cessione juris spiritualis, possit dari pecunia ad redimendam illam vexationem, si nolit cedere? Et affirmativè respondet in decis. 241. Item querit, an si electus vexetur per viam juris circa possessionem jam habitam possit pretio redimere vexationem? Et affirmativè respondet ubi supra, num. 2. Item querit an dare pecuniam alicui, ne mihi in electione exceptionem opponat, quam jure potest opponere, vel concurrenti, ut à concursu desistat, sit simonia? & ad utramque partem negativè respondet in Decis. 245. & 248. Item querit, an sit simonia pacificum aliquo ne concurret in hac electione, & tu non concurret cum illo in subsequente? Et negativè respondet in decis. 249. Item querit, an quando jus ad possessionem est dubium, liceat pretio redimere vexationem contra possessionem illam? & circa præsentem questionem quandam distinctionem adhibet. Item querit, an si quis det alicui pecuniam ut meum competitori incurrat ad hoc ut desistat à concursu circa electionem ad beneficium, sit simonia? Et negativè respondet in decis. 250. Sed ego supradictis opinionibus P. Pasqualigi non audeo, nec possum adhærere, cum sint opinioniones singulares, & ferè omnes contra communem sententiam Doctorum, ut ipsomet fatetur: Unde merito contra dictas opinioniones insurgit novissimè Pater Tancredi de Religione, tract. 2. lib. 4. disp. 34. §. 38. usque ad n. 60. qui respondet ad argumenta Pasqualigi. Et hæc remissivè dicta sufficiant circa supra dictas ejus opinioniones.

RESOL. XXII.

An sit simonia dare pretium cuidam tertio ut intercedat apud alterum, & ipse intercedat apud collatorem beneficii, ut beneficium illi conferat? Et quid, si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me presenteret Regi ad beneficium illius Regni? Et quamvis in textu hujus Resolutionis advertatur aliquis casus circa simoniam, pro coronide est palciorum dubium in §. Et tandem. Et ultimo queritur, an servare Episcopo intendendo, ut conferret beneficium, non tanquam pretium servitij, sed ex gratia, & benevolentia causata ex servitio, sit simonia? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Rel. 151.

§. 1. Ad

AD hunc casum ita respondet Sanchez in opusculis tom. 1. libro 2. cap. 3. dub. 26. num. 7. Si daretur pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum cui non incumbit conferre, nec eligere, nec presentare, vel iste tertius obsecret ut detur illi beneficium, hoc non est illicitum, & nullo modo est simonia; quia datur pro re merè temporali, nec paratur via immediatè & proximè ad beneficium; sic

Gabriel Vasquez disputato casu Matriti, & alij iuniores dicunt hoc esse probabile, licèt sentiant oppositum esse probabilius, & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo Auditoris, ut obsecret suum herum ut me proponat Regi ad beneficium, quia Auditores non presentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantum consultivum, & sic non paratur via immediatè ad beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me presentaret Regi ad beneficium illius Regni. Sic docti recentiores. At licèt hoc probabile sit, probabilius ramen est oppositum. Ita Sanchez. Igitur secundum hanc supradictorum D.D. sententiam non est simonia dare pretium Paulo ut intercedat apud Petrum, ut ipse Petrus intercedat pro me apud Ioannem collatorem beneficij, ut mihi tale beneficium conferat. Sed affirmativa sententia videtur mihi sequenda, & an contraria sit probabilis, ut asserunt Vasquez, Sanchez & alij iuniores, remitto iudicio aliorum. Non desinam tamen hic apponere verba Torriani in selectis diff. cent. 2. censur. Theol. dub. 75. ubi sic ait; An sit probabile asserere, quòd pro intercessione beneficij spiritualis comparandi potest dari pretium? Aliqui referuntur ita sentire, mihi tamen hæc doctrina displicet, neque audeo dicere esse probabile placitum. Ita ille, qui potest intelligi quando datur pretium mediato intercessori cum ipso collatore beneficij; ideo totum relinquo iudicandum doctioribus, ut superius dixi.

2. Notandum est etiam hic, quòd secundum aliquos probabile est esse tantum simoniam de iure humano dare pecunias mediatori pro intercessione ad beneficium, quia revera hic non emit beneficium, sed illam intercessionem, quæ videtur quid temporale, unde sequitur, quòd cum quis pretio dato pro intercessione mediante tali intercessione obtinuit beneficium, non incurreret omnes penas simoniae, & sic valere collationem beneficij, nec alterum teneri restituere pretium, quia satis est probabile per simoniam de iure humano, qualis est hæc, non incurri has penas. Nec obstat Extravagans 2 de simonia, ubi excommunicatur mediator in simonia, quia hic intercessor non est mediator in simonia, quia hic intercessor non confert beneficium, sed ipsemet est, qui simoniam contrahit, vendendo suas preces ad beneficium; & hæc omnia docet Sanchez loco citato, numero 10. quæ iudicanda etiam doctioribus relinquo.

3. Et tandem pro coronide huius resolutionis ponam pro curiosis pulchrum doctum. Petrus prætebat quoddam beneficium curatum, & fecit cum Paulo, ut vulgò dicitur, una scommessa, quòd si obtineret, illud beneficium, dabit Paulo uncias ducentas; si verò illud non obtineret, Paulus illas dabit ei; sed hoc factò, postea Paulus intercessit pro Petro, & obtinuit beneficium; quæritur, an in hoc casu intercesserit simonia? Responsio huius dubij clarè colligitur ex his quæ adducit Sanchez ubi supra num. 12. adi illum, & non pigebit.

4. Et idem Sanchez dub. 28. num. 7. & 8. docet quòd servire Episcopo intendendo ut conferat beneficium non tanquam pretium servitij, sed ex gratia & benevolentia causata ex servitio, non est simonia,

& licèt aliqui limitent, modò non intendat servire principaliter ob beneficium: at verius est etiam in hoc casu non esse simoniam, si non ut pretium intendatur. Imò licèt valde scrupulosum sit, & suspitione simoniae non careat, si quis serviat Episcopo gratis, eo quòd speret ab ipso beneficium; at si non sperat ut mercedem servitij, sed gratis & ex benevolentia, licèt principaliter speret beneficium non est simonia. Et licèt aliqui dicant esse simoniam si datur beneficium ad exonerandum se ab obligatione antidotali, seu quæ oritur tantum ex virtute gratitudinis; ut si Prælati det alicui beneficium, hoc expresso, quòd ea collatio sit in remunerationem, & ad tollendam obligationem, qua ad antidotali debitum tenebatur; at verius est non esse simoniam, sed licitum, quia debitum antidotali non est propriè debitum, nec pecunia æstimabile. Ita Sanchez. Verum penes ipsos Butrius, Panormitanus & alij in hoc ultimo contrarium sentiunt.

RESOL. XXIII.

An qui servit Episcopo cum intentione recipiendi beneficium, ut pretium servitij, teneatur illud restituere?

Et an simonia mentalis inducat penas simoniae, quæ ad restitutionem obligent? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 168.

Resolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an simonia mentalis inducat penas simoniae? & affirmativam sententiam docet Sotus de iust. lib. 9. quæst. 8. art. 1. ad 2. Major in 4. diff. 25. quæst. 1. art. 7. Medina in summ. lib. 2. cap. 14. §. 21. Medina Complutensis Cod. de restit. cap. de usuris. rest. §. jam ad rationes. Henricus quodlib. 6. quæst. 26. Adrianus quodlib. 9. & alij. Ratio est, quia usurarius mentalis tenetur etiam ad restitutionem; cæteras rationes videbis apud citatos Doctores.

2. Sed ego contrariam sententiam puto probabilior, & ita docet D. Thom. in 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 6. Gutierrez can. 99. lib. 2. cap. 23. num. 35. & alij, quos citat & sequitur Villalob. in summ. tom. 2. tract. 37. diff. 36. num. 4. ubi sic ait: [No ay derecho que obligue al simoniaco mental a que restituya, y es necesario guardarse esto en practica, porque favorece a las animas, que es muy dificultoso de hazer la restitucion, y dexar el beneficio, y de otra manera muchos de los criados de los Obispos estarian obligados a resignar los beneficios, que les dan, porque si tuen por esso principalmente que no hazen distincion de intencion primaria ni secundaria, ni aun la saben hazer.] Sic ille, & ideo hanc sententiam docet etiam Sanchez in opusculis libro secundo, capite tertio, dub. 105. numero quinto, ubi ita asserit: Hinc inferunt aliqui quòd si quis servit Episcopo animo interno recipiendi beneficium, ut pretium servitij, & Episcopus ei contulit beneficium animo etiam interno solvendi illi servitium: at externè nullum etiam implicite interfuit pactum, sed uterque finxit gratis facere, recipiens beneficium non tenetur illud resignare, nec Episcopus solvere servitium, quia solum fuit simonia mentalis, quæ ad restitutionem non obligat. Hæc Sanchez, qui citat Cajetanum, Angles, & alios. Ad argumentum contrarium de ulura mentali responder Villalobos ubi supra.

Pro cõtrario in hac Ref. præter ta §. ult. & lege sup. doctrin. Ref. 6. & 8.

Sup. hoc le- ge §. not. præ- ter ta §. ult. & lege sup. doctrin. Ref. 6. & 8.

RESOL.